



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 60. in pseudo-judices.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)



PHILIPPICA ULTIMA.

In Pseudo - iudices.
DOMINICA ULTIMA POST PENTECOSTEN.

Surgunt Pseudo Christi. Matth. 24. v. 34.

S. I.
Ideo Christus venit iudex quia iniquus iudicatus est.

Potissimam universalis iudicij in die novissimo instituendi causam dedit Hussæus vates c. 36. v. 17. *causa tua quasi impij jam iudicata est, causam iudiciumque recipies.* iudicatus est iustissimus iudex ab iniquissimis quadrumviris, & ab Anna quidem tanquam pseudodotor habitus, à Caïpha blasphemiae infimulatus, ab Herode ut stultus illusus, à Pilato tanquam ambitiosus regni affectator, & perduellis Cæsari damnatus est, idcirco in iudicium Iesus venit recipietque quod in passione sua (ut alias dixi) visus erat perdidisse, unde ipsemet Christus ad iuratus à Caïpha edixit: *amodò videbitis filium hominis Matthi. 26. v. 64.* quasi diceret, ideo videbitis filium hominis ut iudicem, quia habuistis ut reū. *tunc manifestus venit inter iustos iudicaturus iuste, qui occultè venerat iudicandus ab iniustis iniuste.* Nec vos modò impij Sacerdotes Anna & Caïpha, neque vos solum iniqui iudices Pontii Pilate & Herodes Ascalonita, neque tu Senatus populèque Hierosolymitane innocentem Dei filium temerè iudicando severum iudicij diem ab æterna divini Numinis iustitia soli promeruistis, sed & vos pseudo-christiani proximos vestros temerariè censurando censuram incurristis, atque supremum iudicem ad generalia vindicativæ iustitiæ comitia indicenda compulistis. In qui-

S. Aug. apud Jacobum Corin. 2. post Dom. 1. quad.

bus nè de causa & capite vestro actum sit, tempori dum licet respicite, temeraria iudicia cavete, ad eorumque enormem, quam mox demonstrabo, gravitatem attendite.

Si quod vitium in mundo commune est, iudicium est temerarium, quo quisque pro sua libidine alterius dicta factaque malè interpretatur, & ex signis exterioribus valde fallibilibus absq; convincenti causa proximum iudicat & condemnat. *hoc crimen,* inquit Origenes in c. 3. Rom. *nescio si vel iustos vel electos relinquat immunes.* Non mirum quòd malè iudicet Cain de Abel, Esau de Jacob, Jacob de Joseph, Saul de David, Vagao de Juditha, magis stupendum est, quod citatus Paulus affirmat, *spiritualis omnia iudicat.* Vidit Heli summus Pontifex Annam flentem & iudicavit ebriam 1. Reg. 1. v. 14. *estimavit ergo eam Heli temulentam;* vidit Joseph conjugem gravidam, & malè suspicatus est, ut censent SS. Augustinus, Chrysostomus, Justinus. cogitationes fluctuantis cordis exprimit Cornelius pag. 55. in Matth. credo innocentem, sed tamen video gravidam, ex me certè gravidata non est, ex quo ergo? nescio. fortè alium Sponsum ante me habuit, fortè in itinere vim passa est, fortè in somno à Spiritu illusa, quid si bonus eam gravidasset, angelus? & cur hoc mihi non concedit, si ex bono Spiritu est, & si me verè amat? sic fluctuat iustus Joseph

S. 2.
Temerè iudicant non tantum mali sed & boni.

1. Cor. 2. v. 15.

seph, & nè temeritatis vortice abforbeatur, angeli monitu indiget. heu quid iniusti tot alij cogitabunt, agent, molientur, quos malitiæ congenitæ fluctus rapiunt, in profundum. *hoc crimen nescio si vel justos vel electos relinquat immunes.* Quod Origenes de suis temporibus dixit, confirmavit Orator aureus de suis: *non facile invenies expertem hujus erroris, & quod de suis Chrysofostomus, idem asseveravit S. Augustinus serm. 102. de temp. qui sermo totus est contra temerarium judicium: magna pars generis humani indiscreto judicio ad reprehendendum prompta atque parata, si quis devotus est, hypocrita judicatur, si compunctus, malæ conscientia in simularatur; si lætus appareat, dissolutus vocatur; si affabilis, libidinis arguitur; si providus, avaritiæ sordibus contaminatur.*

§. 3.
Gravitas
hujus peccati.

Quàm grave autem sit peccatum judicij temerarij, ex eo conjice, quòd aliorum peccatorum multitudinem dicatur excedere, ut patet in Magdalena peccatrice composita cum Phariseo temerario iudice. fuerit Maria Magdalena peccatis onerata, imò antonomasticè dicta *peccatrix*, omnibusque infessa dæmonijs, Lucifero superbiæ, Asmodæo luxuriæ, Beelzebub invidiæ, Mammonâ avaritiæ, Legionè iracundiæ, deterior tamen Magdalenâ temerarius iudex Phariseus fuit, quod Chrysologus asseveravit serm. 49. gravius peccavit Phariseus iudicans Magdalenam peccatricem, meretricem, publicum scandalum, quæ jam erat virginibus castior & virginibus universis præponi in sanctorum syllabo merebatur, jam erat sponsa Christi, angelorum gaudium, Spiritus Sancti delictum, *gravius*, inquam, *peccavit iudicando, quàm Magdalena delinquendo*; tam enim enorme est hoc vitium, ut dicat S.

Dorotheus esse omnium gravissimum: *usque adeò grave est proximum iudicare, ut reverà omne peccatum excedat.* Quod ex Galeni & Hippocratis regula & praxi deducitur; qui enim periculosius decumbunt, ijs citius succurritur, ideòque Christus animarum Medicus prius allocutus est, curavitque Phariseum per applicatum parabolæ malagma, quàm Magdalenam, prius Simoni textum legit: *Simō habeo tibi aliquid dicere*; quàm diceret Magdalenæ: *vade in pace*, hinc est (verba sunt aurei Petri) quòd *Christus ad illam phariseum insanam pharisei primam curandam venit, ubi major ei nota serviebat infirmitas.*

Cur autem iudicium temerarium tam enorme in Tribunali divinæ sit justitiæ, hæc fundamentalis causa est, quòd censor iniquus *regalia Dei usurpet, in officium supremæ Majestatis involat*, illius læsæ reus. Cecidit Lucifer, quia similis esse volebat Altissimo, excidit paradiso Adamus cum Eva, quòd vellent esse sicut Dij, & quale putas manet eos iudicium, supplicium quantum, qui post horum lapsum non tantum volunt esse similes, sed reipsâ (quantum in illis est) se faciunt Altissimo altiores. Constituit enim Deus diem, quo iudicet, at hi, Deum præveniunt, & ante tempus iudicant, reclamet licet cum Apostolo conscientia: *nolite ante tempus iudicare.* hæc non mea, sed maximi Chrysofostomi est oratio hom. 2. in ep. Tim. *noli præripere Christi iudicis ordinem, illius est munus ista discutere, non tuum.* & rursum: *nè rapias dignitatem unigeniti, illi iudicij sedes servata est.* Legitur in vitis PP. lib. 5. libell. 9. Abbatem Isaac incidisse in hoc vitium, cui angelus occurrens: ubi jubes, ut mittam fratrem illum culpabilem, quem addixisti; mox ille prociuus: pec-

§. 4.
Iudex
temerarius
in officium
DEI
involat.

pec-

peccavi! ignosce mihi! cui angelus: surge, ignoscit tibi Deus, sed vide, nè de ceterò ad iudices quemquam, priùsquam Deus ad iudicet eum. graviùs accidit illi, de quo S. Dorotheus doct. 6. (quæ tota est de non iudicando) senex quidam inaudierat obfisse adulteram, in quam mox ille tulit sententiam, censuitque re. Cæ sinè dubio descendisse ad orcù, ut portionem suam cum filio Salomi, quem Phinees occidit, cum Sufannæis, cum Herode & ceteris mœchis accipiat. Talia cogitant, fevero vultu adstat angelus sistitque defuncti animam acerbâ hâc usus ironiâ: iudex inveterate malorum, ecce adduco pro tribunali tuo, quam iudicâsti jam in animo tuo. quò jubes deportari animam, ad superos, ut fiat misericordia, an ad inferos, ut exerceatur justitia? iudicem mortuorum te fecisti, Christi iudicis locum usurpâsti, fer proinde sententiam. agnovit senex se non iudicem, sed reum, & dum tempus supererat pœnitentiæ, ingemuit, pectus percussit, flevit, & vitâ reliquam in severissima exegit pœnititudine, illud sibi creberrimè repetens: *nè rapias dignitatem unigeniti, illudque morientis Antonij: nolite ante tempus iudicare.* Severè Jacobus c. 4. v. 12. *unus est legislator & iudex*, non patitur corrivalem, *tu autem quis es, qui iudicas proximum?* tu homo, imò vermis & vermium esca, ausis usurpare Dei gloriam, quam juravit se nemini daturum? audi peracre *Tu*, quod Paulus tuas interit in aures Rom. 14. v. 4. & 10. *Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut Tu quare spernis fratrem tuum?* Tu vermis audes repere in subsellium iudicis, pedibus conculcari dignus? tu infernalistitio præsumis esse carbunculus in corona Dei? nõnne dignissimus, qui sis infi-

num inferni pavementum? tu scabellum Luciferi vis sedere supra caput altissimæ Majestatis, an non dignissimus, quem omnes conspuant, damnent, execrentur?

Cor labyrinthus est, solus Deus habet filum Ariadnæ, cognitionem scilicet & vim perscrutandi. Cor est arbor scientiæ boni & mali, hanc sibi reservat Deus, ita ut de illa gustans morte moriatur, paradiso expellatur, in lachrymarum vallem damnetur. Cor est metropolis, quam sibi gubernandam Rex Regum servat, nec alteri ministro committit. Unde non miror contra hoc scelus detonuisse tam vehementer, sacros Oratores, ut dicere ausi sint, reliqua peccata habere se instar festucæ ad trabem. Ipsemet enim incorruptus iudex hoc visus est asseverasse, cum contra iniquos alienorum actuum censors hanc protulit sententiam Luc. 6. v. 42. *hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicias, ut educas festucam de oculo fratris tui.* quod quæso peccatum est trabi simile, quod verò festucæ? respondet nemine contradicente S. Dorotheus Doct. 9. comparavit Christus festucam peccato, quodcunque illud sit, iudicium autem trabi, excedit enim iudicium, temerarium cetera peccata, unde & severius in divino tribunali discutitur, iudicatur, plectitur.

Certè acrius in iudicio iudicandos fore temerarios iudices probat S. Chrysostomus ex verbis iudicis præmonentis: *nolite iudicare, ut non iudicemini* Matth. 7. v. 1. cur iudicium temerarium potius dissuadet, quàm aliud peccatum? quia videlicet gravissimè sentit iudex violari munus suum, seque cogi ad justum adversus temerarium iudicem iudicium ferendum. Loquatur Chrysostomus hom. 24. in Matth. *facis tibi terribilius esse iudicium, cogisque ad-*

§. 5.
Teme-
rarij iudi-
ces gravi-
us iudica-
tur in Di-
vino iudi-
cio.

versus te diligentissimam etiam de minimis fieri ultionē; quia scilicet ex minimis indicijs proximum iniquē iudicavisti. Miranda est illa S. Ambrosij speculatio & quidem verissima in versum centesimum quinquagesimum quartum psalmi centesimi decimi octavi: *judica iudicium meum, & redime me.* Iudicium temerarium, in quod fortè Rex Sanctus incidit (quotusquisque enim Sanctorum est, qui in hoc non deliquit?) iudicari à Deo tempestivè, ante novissimum videlicet examen supplicat & adjungit: *redime me*, quasi dicat, dum adhuc redemptionis tempus est & spes veniæ, *judica*, castiga, ure, seca, alioquin de me actum erit, cum & de latrone à sinistris Crucis tuæ pendulo actum fuerit post tot & tanta miracula, quia videlicet hoc crimine velut omnium aliorum complemento se contaminavit Luc. 23. v. 39. *Si tu es Christus iudex, salva te ipsum & nos.* Iudicis iudicem se fecit, ideòque perit, prudentius alter à dexteris audito hoc iudicio temerario: *increpabat eum dicens: neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es, & nos quidem iuste v. 40. & 41.* quibus ex verbis deducere licet, eos non timere Deum, & esse in eadem damnatione cum crucifixoribus Christi, vel cum Lucifero, qui temerè iudicant, quia denuò Christum, non jam mortalem & visibilem, sed immortalem & invisibilem gloriæ Regem condemnant. in principio creavit *Elohim* sive, iudex, cœlum & terram, quia iudicium sibi reservavit & pro primo principio hanc maximam statuit: qui in cœlo æternum vult regnare, non iudicet; cœlum pro humilibus publicanis, terram pro superbis pharisæis conditum noveris. redimentur citius publicani mille, quàm unicus temerarius pharisæus. sed ad Psaltem redeamus: *judica*

iudicium meum, & redime me. agit David Rex personam omnium peccatorum, ex parte una totum peccatorum cumulum seponit, ex altera verò solum temerarium iudicium: *judica, redime*, *judica* & puni pro iudicio temerario, quia, hæc est grandis misericordia in tempore pro hoc delicto puniri. post pœnam verò *redime*, quia hoc solum peccatum tantâ eget redemptione, quantâ cetera omnia. quid hoc? redemptio quæ ad totam peccatorum massam spectat, uni peccato applicari debet? ita est, ipsum solum, ait Nyssenius, tantum requirit redemptorem, quantum reliqua totius mundi peccata exigunt, unde & paulò post commonefacit David Deum multarum misericordiarum *misericordie tuæ multæ Domine*, quas cum exercere dignaris, vix alteri, quàm huic peccato gloriosius indulges. Loquatur nunc Mediolanensis Antistes, quia dixerat: *judica iudicium meum, ideo subtexit misericordias Domini, nimirum multas esse, græve est enim de alio iudicare.* quàm grave d' Ambrosi? ut reliqua se habeant pro festuca respectu trabis, imò pro terra respectu cœli, pro peccatillo humano, respectu angelici flagitij; verum Angeli hi Sathanæ misericordiâ & redemptionem non sperent. Salomon tam mansuetus, ut videretur irasci non posse, quando vidit Adoniam affectare regnum, clementiæ immemor, occidi sine misericordia illum imperavit. Sic sic Salomon noster omnem humanitatem exuet in die illa, & Leone sævius ferociet; *tunc videbunt filium hominis fulgurare oculis, tonare voce, fulminare manu, & postquã dederit rationem suorum iudiciorum, quæ sunt abyssus, exiget rationem nostræ temeritatis; cur me iudicasti? cur in potestatem meam involasti? cur quod dedit mihi Pater, tibi ne-*

Did. Niff.
de Abra-
ham. 7. c.
9. pag. 153.

fa.

farie usurpâti? neque enim Pater
judicat quenquam, sed omne judi-
cium dedit Filio Ioann. 5. v. 22. Fili-
us verò aded cautus in iudicando
est, ut dicat: *ego non iudico quenquam*
Ioanni 8. v. 15. unde adolescenti ju-
dicem Iesum interpellanti respon-
dit: *quis me constituit iudicem super*
vos. Spiritui quoq; paraclito aded
exosum est temerarium iudicium,
ut asseveret Christus, quòd arguet
mundum de iudicio, non iudicabit i-
pse, sed iudices admonebit & arguet.

§. 6.

Propter
iudicium
temerari-
um accele-
ratur divi-
num iudi-
cium.

Sæpius audivimus de Phariseo
& Publicano parabolam, quorum
ille meritis, iste demeritis plenus,
orandi gratiâ non garriendi, non
dormiendi, non curiosè circumspi-
ciendi causâ in templum descende-
rant. Phariseus incepit orationem
suam à gloria, publicanus à confite-
or, pulsat enim pectus & dejectis o-
culis dicit suam maximam culpam;
Phariseus iudicat publicanum, pu-
blicanus se agnoscit reum, uter ve-
rius sanctiusque egit? S. Dorothe-
um doctrin. 6. tom. 2. biblioth. PP
affirmantem audiamus, non itâ pla-
cuisset Deo omnia jejunia, eleemo-
synas, justitias, continentiamque
Pharisei, quàm displicuerint qua-
tuor ista verba: *velut etiam hic pu-
blicanus.* his enim verbis exhaustam
pœnè esse Dei patientiam, & decre-
toriam in temerarium iudicem an-
ticipatam sententiam: *tunc enim ju-
dicatus est, tunc actum est ejus v. a.* cur
obsecro tam citò graviterque sènsit
verba Pharisei Deus posthabitis o-
mnibus illius meritis? quòd raptor
non fuerit, neque adulter, hoc nec
ipsa negare potest veritas; tacet e-
nim, ergo consentit. quod de pu-
blicano verum dicat idem Phariseus,
non est ambigendum, quia non
est confessi causa tuenda rei? cur er-
gò descendit justificatus hic publi-
canus præ illo phariseo? quia te-
merè iudicavit. *tunc enim iudicatus*

est, tunc actum est ejus v. a. sed quo-
modo temerè? quia publicanum
injustum esse dixerat, qui amplius
non fuit, & hoc perversum iudici-
um coram iusto iudice omnibus a-
lijs criminibus, inventum est enor-
mius & intolerabilius. Qui enim
peccant adulterio, homicidio, fur-
to, rapinâ, merentur quidem infer-
num, quia peccant ut homines, sed
qui iudicio temerario peccant, eò i-
psò sunt Angeli Luciferi, cõtra quos
iudex univerforum pronuntiaturus
est: *ite in ignem æternum, qui paratus*
est diabolo & angelis ejus.

Non est proclivior alibi quàm
in iudicando error, citò enim errat-
ur, & serò corrigitur, facile iudica-
tur, & difficulter error expiatur,
quisquis erroris expers amat vive-
re, temerarium iudicium cane &
angue pejus oderit. Demus enim
nonnulla ad speciem mala videri, in
re tamen ipsa bona, bona valde sunt.
qui videret hominem per aëra à
diabolo deportari, cogitaret indu-
bitatè: nã hic scelestus est. & tamen
Christus à diabolo assumptus est.
videat temerarius iudex Abraha-
mum in filium, ducem Jephthe in fi-
liam absque misericordia gladium
stringere, quid dicet? parricidæ
sunt; videat filios in parentes, fra-
tres in sorores, maritos in uxores
sævire, vulnerare, trucidare, quid
dicet? tyranni immanes sunt. & ta-
men Numinis iussu Levitæ sævie-
runt, atque à Deo dilaudati & im-
mortalibus præmijs donati sunt: *fe-
ceruntque filij Levi juxta sermonem*
Moyse, cecideruntque in die illa quasi
viginti tria millia hominum. & ait
Moyse: *consecrâstis manus vestras*
hodie Domino, unusquisque in filio &
in fratre suo, ut detur vobis benedi-
ctio. Videat aliquem Sacerdotem
cum flagello in homines & jumen-
ta sævire, quid putabit? mirabilis i-
ste Pater, quàm furiosus est! & ta-
men

§. 7.
Facillimè
errant qui
iudicant.

Exod. 32.
v. 29.

men Christus hoc fecit. hem quàm
facile erretur iudicando! *ad peniten-*
dum properet citò, qui iudicat.

Publ. Mi-
musin fen-
teut.

O Iudex temerarie! ego te per
diem novissimum, diem magnum
& amarum valde, diem calamitatis
& miseriæ & per adventum iudicis
æterni, severumque ejus iudicium,
obtestor & obsecro, noli ante tem-
pus iudicare, quoadusque veniat
Dominus. Veniet enim verò, veniet

opinione tuâ citius, iudicabitque
iudicium temerarium peccatis ce-
teris severius, cõdemnabit profun-
dius, puniet intolerabilius. quo in
iudicio nè cum iudicabere ex eas
condemnat⁹, noli imposterum
peccare, noli iudicare,
noli condemnare.

* * *
* * *
* * *

F I N I S.

A. M. D. G.



IN-